

† A. R. P. Iosephus Waclaw (1900-1951)

(Vice-Prov. de Karlsbad)

Die 7 Ian. 1951 in nosocomio Monacensi Nymphenburg, quinquagenarius, obiit diem supremum dilectus confrater P. Iosephus Waclaw, diu Rector collegii Karlsbad et Consultor Vice-Provincialis. Valde amara nobis est haec mors, verum fiat sancta Dei voluntas.

Natus est Iosephus Waclaw 26 Iulii 1900 in Stecken, in illo territorio Moraviae quod *Iglauer Sprachinsel* vocatur et per saecula a Germanis incolebatur. Erat decem liberorum natu minimus. A nostro P. Ullwer ad Congregationem allectus, studia gymnasialia peregit in iuvenatibus Budweis et Katzelsdorf. A. 1919 in Eggenburg nuncupavit religionis vota. Post biennium in Leoben transactum venit in Mautern. Coactus militare in exercitu

cecoslovako, sacerdotium non est consecutus nisi a. 1927.

Absolutis tandem studiis, per triennium nostram iuventam in Seminario minore Plan educabat atque instruebat; deinde adscriptus collegiis Zwittau et Grulich et Karlsbad, erat occupatus praedicandis missionibus. Huic ultimo collegio praefuit per decennium (1936-1946), et illis 13 mensibus, quo Superior Vice-Provinciae a nazistis in carcere detinebatur, etiam eius vices P. Waclaw gerebat. Eo tempore potuit etiam Romam venire et P. Rectori Maiori coram de rerum condicione referre. Debita magna a praedecessoribus propter novas constructiones contracta ex integro exstinxit. Cum clero saeculari sancta amicitia coniunctus erat.

Qua missionarius P. Waclaw habebat notam plane personalem, et missionarius mansit etiam ut Superior. Miro modo sibi fidelium animos devinciebat. Habebat quoddam charisma orandi publice ex plenitudine sui cordis sacerdotalis, et suo exercitio Viae Crucis audientium lacrimas elicere consueverat. Explanans mysteria Rosarii inde doctrinas valde practicas desumere sciebat. In confessionali hic bonus pastor medicusque expertus videbat se circumdatum fidelium caterva.

Expulsus cum suis contribulibus e patriae finibus, nullibi amplius novam patriam invenit, sed reliquum vitae tempus erat peregrinus in terra. In domo parochi catholici urbis acatholicae Giessen inhabitabat ut inquilinus parvum cubiculum, unde exibat, suis viribus minime parcens, ad fidei solacia danda suis fratribus et sororibus, item dulcis patriae exsortibus ac per Hassiam acatholicam dispersis.

Iamdiu e renibus laborans salutem quaerebat in curis homoeopathicis. Initio hoc systema medicum eum iuvare videbatur, verum quo die complebat 50 vitae annos (26.7.1950), plane concidit. Translatus in dictum nosocomium Nymphenburg, ibi erat quidem optimis curis circumdatus, sed Dominica I Adventus clare cognovit, nullam sibi superesse spem. Sorori nosocomae dixit: « Corpus meum dissolvitur; moriendum est mihi! » Tum ipse (erat quippe extra lectum) aperuit fenestram, brachiis gestum fecit sicut in principio Praefationis, dicens: « Sursum corda! », fenestram clausit et denuo cubitum ivit, probe sciens fore suum lectum mortis.

His ultimis septimanis vel clarius apparuit, quam genuina esset eius pietas et cum divina voluntate coniunctio. Omni visitatori dicendum habebat aliquod verbum bonum. Vota religiosi Redemptoristae octavo ante obitum die in manus sui Superioris renovavit. Ultima nox erat oratio continua. Quater exclamavit: « Paratus sum! » et « Cras Missam celebrabo in colore albo! » Ad verba sacerdotis: « Proficiscere, anima christiana, de hoc mundo » tradidit spiritum.

Catholici Sudeti huic digno filio sui populi tam dira perpassi postremos honores tribuerunt. Funeri praefuit pristinus Episcopus Auxiliarius Praegensis Dr. Remiger, assistentibus sibi Praelatis Popp et Hacker. Hic et Episcopus praedictus et alterius Instituti sodalis P. Paulus Sladek ad apertum tumultum pronuntiarunt commotis animis verba commoventia. Aderant quoque P.I.R.P. Provincialis Scherzl et alii multi confratres ex Provincia Germaniae Superioris et Vice-Provincia de Karlsbad. Cantus funebres cantarunt clerici Garsenses.

Requiesce in Christi pace, Pater Iosephe. Durum nobis quidem est iter prosequi sine te. Tuum nomen semper erit coniunctum cum historia nostrae Vice-Provinciae. Ad Dei thronum nunc ora pro nobis, pro confratribus et popularibus patria eiectis et pro cunctis animabus tibi in vita commissis.

AUG. REIMANN-C. HENZE
